



CANDIDO LECTORI S.



Quanta sit infinitæ Misericordiæ Divinæ erga genus humanum profunditas, vel ex eo liquet, quod singulis corporis nostri morbis apta remedia è terrâ produxerit, Syr. 38. quæ prudens animus, celebrando Conditorem horum Præpotentem, extollit. Cumq; non minima felicitatis humanæ pars Sanitas sit, vitaq; longa DEI donum, absq; dubio id magnificandum, quod vel amissam eandem restituit, vel præsentem conservat atq; tuetur; hoc Medicinæ nomine indigitamus. Moti hinc Protoplastarum nostrorum successores industrii, Patriarchæ puta, Magi ac Sophi gentilium, quin & Reges & Principes, omnem in indagandâ salubri Medicinâ moverunt lapidem, hisq; qui reliquis studio & industriâ prævalere, divinum exhibere cultum, eorundemq; immortalitati fana atq; delubra extruendo consecrare cœperunt; qualiter Apollini & Æsculapio factum legimus. Simplicium studium, ut & Metallorum, Animaliumq; cognitio inde ad variarum linguarum gentes translata, usq; & usq; nominum multiplici varietate excoli cœpit, adeò, ut diversitas illa linguarum & dialectuum nominum etiam multitudinem ultra modum extenderet, quorum notitia non spernendam Arti per se longè lateq; diffusæ difficultatem addidit; donec bini in hâc principes æternâ memoriâ dignissimi, Hippocrates & Galenus, Pharmacopœis modum ostenderent, eligendorum ac præparandorum simplicium, quæ amplam postmodum compositis materiam præbuere. Quod si verò Medicorum apud præscos dignitas tanta fuerit, ut eorundem honori fana extructa, simulacra posita; sacræ quin etiam paginæ, Syr. 38. colere Medicos jubeant, propter Conditorem suum; satis hinc apparet, Artem Pharmaceuticam Diis hominibusq; dudum acceptam extitisse. Exodi namq; 30. DEUS Moysen chrysmata & pulveres fumales juxta Artem Pharmaceuticam ad sacrificia parare jubet: Sic Josephus præcis condituram mandat Salariis & Aromatariis suis. Herophilus extollendo Artem hanc, DEI manum dicit: cujus sententiam tam præsci quàm recentiores Medici amplexati sunt, & ut iis, qui se huic studio toti manciparunt, majus calcar adderent, quo ad usque & usque in excolendo eo indefessi pergerent, Pharmacopœum dextram Medici manum vocarunt; cum Medicus peritus absque industrio Pharmacopœo parum vel nihil proficiat.

Quemadmodum verò pauci Bacchi, sed multi thyrsiferi, ita non omnes Pharmacopœi, qui titulo hoc gaudent, quorum effrœnis antea juvenus debacchando paterna bona apud exteros plus abligurire studuit, quam Arti gnaviter operam dare. Neque hoc nomine salutandi ij, qui Artem sanè longissimam primoribus tantum, ut ajunt, labris degustant, aut stantes in limine τὸ εἶργον vix salutant, fumum atq; carbones attingere respuunt, solâ imaginatione præ aliis profectus nescio quos in Arte fecisse credentes, qui vix Syrupis consistentiam, Emplastro aut Unguento crassitiem & spissitudinem legitimam addere vix unquam addidicere, ignorantes processus, compositiones, distillationesq; artificiosè excogitatas, ut & nobilissimæ Chymicæ ingeniosissimas ἐργασίας; his medicamentum à Medico ingeniosè satis præscriptum, ob imperitiam Latinæ Linguae, citra conscientiæ stigma concredere vix licet conficiendum. Vocati ejusmodi Thrasones ad examen, dum Provisoris munus ambire non erubescunt, ad quæ sita Artis hærent, tanquam mus in pice. Cum ejusmodi egregiis, potiùs dixissem gregariis, aut græcanicis Pharmacopœis tandem boni publici supremæ salutis Sanitati quomodo consulatur, quæso? qui Spiritus, Magisteria, Salia, Essentias, Extracta, Flores, Theriacalem aut Mithridaticam confectiohem, Pulveres diaphoreticos, purgantes, vomitum cientes &c. earumq; præparaciones longè difficillimas ignorant; unde ab aliis nescio quibus carbonariis, salt' in banco, pseudo-Paracelsistis, fumivendis ac impostoribus nefariis è longinquo petere coguntur. In cognitione simplicium quæ satis fiat Arti, rogo? dum Idiota talis pro Mechoacannâ Bryoniam, pro Tacamahacâ Gummi Elemi; pro Agallocho vero Asphaltum, pro Lapide Bezaar vero factitium & adulterinum; pro radice Hellebori nigri Napelli radicem summè deleteriam, pro Senâ Gratiolam, aut Colutheam vesicariam, pro Ungulâ Caballinâ, Farfaræ aut Tussilaginis aliàs nomine clarâ, unguulam equi eligit, vel ex effectu egregio cernere licet.